MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80274-34

AUTHOR:

DITGES, PHILIPP

TITLE:

CICERONIS CATONEM MAIOREM SIVE DE...

PLACE:

AACHEN

DATE:

1848

Master Negative #

91-80224-34

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Ditges, Philipp,
...Ciceronis Catonem maiorem sive De senectute dialogum invenibus litterarum latinarum studiosis ad legendum commendat Philippus Ditges... Aachen, Beaufort, 1848.

14 p. $28\frac{1}{2}$ cm.

At head of title: Programm des Königlichen gymnasiums zu Aachen...

VOLUME OF PAMPHLETS

94305

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x


IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB


DATE FILMED: 10.2.91 INITIALS V.W.D.


FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)














PHOTOGRAPHIC SCIENCES CORPORATION
770 BASKET ROAD
P.O. BOX 338
WEBSTER, NEW YORK 14580
(716) 265-1600

PROGRAMM

des

KÖNIGLICHEN GYMNASIUMS ZU AACHEN,

im Herbste 1848,

herausgegeben

vom

Ditges

Direktor des Gymnasiums

Dr. J. J. SCHOEN.

INHALT:

Aachen,
gedruckt bei J. J. BEAUFORT, Theaterstrafse Nro. 1350.
1848.

PRÆFATIO.

Pauciora ac leviora, quæ brevi tempore confici possent, in hoc scholastico annali non viris doctis, sed discipulis offero. Quanquam quæ scripsi, mihi quidem haud plane a præceptorum mentibus videntur abhorrere. Est enim, ni fallor, etiamnunc aliqua inter scholarum præceptores dubitatio, quinam potissimum latinorum scriptorum libri, quum superiores scholarum gradus discipuli adire cœperunt, ad legendum sint eligendi. Catonem maiorem scio esse, qui minime iudicent idoneum. Sed si quæ ego discipulis commendandi causa dixi, vera sunt et recta, iisdem profecto præceptoribus quoque publica huius libelli lectio commendabitur.

Ciceronis Cato maior sive de senectute dialogus iuvenibus litterarum latinarum studiosis commendatur ad legendum.

Diligenter legite, iuvenes carissimi, Ciceronis Catonem maiorem sive de senectute dialogum. At sunt fortasse vestrum, qui mirentur, quod senectutem commendo iuventuti, quod animos vestros versari velim in re alienissima, unde nec delectationis quidquam nec ullos fructus ad augendam artium scientiam possitis percipere. Quibus ego quæ respondeam, hæc potissimum habeo. Primum quis est vestrum, quin senem fieri optet? Quod vero ut adipiscamini optatis omnes, num id cuiquam vestrum est alienum? Tantum abest, ut senectus aliena sit ab iuvenum animis, ut vel plurimum referat, in iuventute prospici senectutem. Insipientis est atque temerarii hominis ea tantum respicere, quae proxima sunt et praesenti tempore continentur. Qui sapiens fieri volet, is diligenter perquirat coniunctionem rerum et consequentiam et mente futura connectat cum iis, quae et nunc sunt et praeterito tempore fuerunt. Nec vero cum senes fieri coeperitis, tum demum qualis senectus vestra futura sit, poterit effici, sed in iuventute fundamentum ponendum senectutis. Nolite arbitrari, qui iuvenis aut inertiae ac desidioso otio, aut voluptatis cupiditatibus et intemperantiae se dederit, huius aut in ea quae constans dicitur aetate, aut in senectute ullam esse vitae beatitudinem. Posterior enim aetas nulla esse potest beata, nisi quae nitatur bonis superiore aetate partis. Quales fructus vere aetatis severis, tales metes autumno. Quid vero? num molestum est iuveni mente versari in senectute? Jucundum potius, quam molestum. Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, iuveni bene morato senectutem quidquam habere odiosi. Petulantium quidem et arrogantium est iuvenum, senectutem contemnere : quod quam sit turpe ac detestabile, vix dici potest : at modesti iuvenes ac verecundi, virtutis et honestatis studiosi senectutem magni aestimant et probos senes habent carissimos. Quid enim honesti ac probi senis comitate et gravitate est dulcius? Quid est, quod magis alliciat ad diligendum et colendum? Nec vero Cicero in hoc ipso de senectute libello senes facit Catonem senem audientes, sed homines multo iuniores, Scipionem et Laelium [1]). Quibus Cato non minus erat iucundus, quam ipsi erant Catoni [2]). Nec iucundum modo probam et sapientem senectutem contemplari animo, sed utilissimum etiam ad ingenia colenda et sapientiam augendam. Qui enim probum senem et sapientem intuetur, qui priore vita multa bene fecit cuique ad multorum bene factorum memoriam, qua nihil est iucundius, divina illa accedit laetitia, quae ex multarum rerum scientia ac divinis illis ingenii studiis capitur, is certe praeclarissimum intuetur exemplar ad imitandum sibi propositum. Ex quo fieri non potest, quin ipsi quoque nascatur virtutis et sapien-

---

[1]) V. pag. 6 et 7. quae monui sub textu.

[2]) Cic. Cato maior VIII. 26.

tiae studium. Quod quum ita sit, etiamsi senectutem honestam intuendo haud certam quandam artem discetis, tamen magnum id vobis erit virtutis incitamentum et hortamentum sapientiae. Atque magnam libello suo laudem et commendationem hoc ipso addidit Cicero, quod quae de senectute sentiret, Catoni potissimum tribueret. Huius enim hominis senectus non modo gravitate, auctoritate, consilio excelluit, sed etiam comitate, facilitate, humanitate, omnino sapientia [1]), et, ut est apud Nepotem, quoad vixit, virtutum laude crevit. Qui quum in superiore vita in vario genere bellorum multa cum gloria versatus esset [2]) et divina fere probitate et severitate cum ceteris omnibus honoribus, tum vero maxime censura perfunctus esset [3]) — tanta autem fuit censurae gloria, ut inde Censorius diceretur — in extrema vita non in desidiosum otium delapsus est, sed quamvis senex [4]) et rerum publicarum fuit studiosissimus nec unquam defuit amicis, clientibus, hospitibus [5]), et diligenter versatus est in litteris, nec in romanis modo, sed in graecis quoque litteris, quas cupidissime in senectute arripuit [6]). Quid igitur? Talem tantumque senem de senectute dicentem audire, num id a iuvenilibus animis alienum esse neque ullum hinc vos percipire posse putatis adiumentum virtutis, sapientiae, humanitatis? Praesertim quum Cicero ita rem egerit, ut hunc summum hominem exempla, quibus quae de senectute dicit, probentur, quam saepissime faciat ex sua ipsius vita petentem.

Jam vero hunc ipsum libellum accuratius videamus, qualis sit et quae sint eius quasi virtutes. Quod quo facilius intelligere possitis, primum quae insint primaria, ordine persequenda censeo, deinde quae ex his iuvenilibus animis utilissima sint ac memoratu dignissima, breviter exponam, tum pauca addam de oratione.

Initio libelli Cicero praefandi causa T. Pomponium Atticum amicum docet, quibusnam causis commotus sit, ut de senectute ad ipsum scriberet, et brevissime causam affert, cur omnem de

---

[1]) Cato cognomen habebat in senectute sapientis (Cic. Lael. II. 6. 9.).

[2]) M. Porcius Cato Maior sive Priscus primum stipendium meruit adolescentulus annorum decem septemque Q. Fabio Maximo consule cumque eo profectus est ad Capuam, quintoque anno post ad Tarentum (Cic. Cato maior. c. IV. Corn. Nep. Cato. I.). Tribunus militum in Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est C. Claudii Neronis, magnique eius opera existimata est in proelio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis (Corn. Nep. Cato c. I.). Eodem bello quaestor in Sicilia fuit et in Africam profectus est consule P. Cornelio Scipione Africano maiore (Cic. Cato maior c. X. 32. Corn. Nep. Cato I. 3 et 4. Liv. XXIX. 25.). Consul provinciam nactus est Hispaniam citeriorem (Cic. Cato maior l. l.). Ob res gestas in Hispania supplicationem in tridunm patres decreverunt (Liv. XXXIV. 21.) exque ea provincia Cato triumphum deportavit (Corn. Nep. Cato c. II. Liv. XXXIV. 46.). Quadriennio post consularis legatus depugnavit ad Thermopylos M'. Acilio Glabrione consule (Cic. l. l. Liv. XXXVI. 17 et 18.).

[3]) Quam severus fuerit in censura, lege apud Livium XXXIX. 41. 42 et 43. cf. Cic. Cato maior XII. 42. Corn. Nep. Cato II. 3.

[4]) Cicero Catonem facit de senectute disserentem aetatis anno octogesimo quarto (Cic. Cato maior X. 32.). Idem in Laelio (III. 11.) dicit : „senectus enim quamvis non sit gravis, ut memini Catonem *anno ante, quam mortuus est*, mecum et cum Scipione disserere";... Ergo Cato mortuus est aetatis anno octogesimo quinto. At si Livio fidem habes, annum nonagesimum attigit (Liv. XXXIX. 40 in fine.).

[5]) Cic. Cato maior. V. 14. VI. 18. X. 32. cf. Liv. XXXIX. 40 in fine et XLV. 25.

[6]) Cic. l. l. I. 3. VIII. 26. XI. 38. Corn. Nep. Cato III.

senectute sermonem tribuerit Catoni (c. I.). Deinde Scipionem et Laelium [1]) inducit admirantes eximiam Catonis sapientiam, qua senectutem facillime ferat et quaerentes, quid ipsis faciendum sit, ut pari aliquando ratione ingravescentem aetatem ferre possint. In iis, quae respondet Cato, haec fere inest sententia primaria : *Senectus levis fit ac iucunda sapientia et exercitationibus virtutum.* Hanc autem sapientiam totam eo contineri docet, quod bona omnia a se ipso petat et naturam optimam ducem sequatur eique pareat. Virtutes vero, aptissima senectutis arma, nunquam dicit deserere, ne in extremo quidem tempore aetatis, et conscientiam bene actae vitae multorumque benefactorum recordationem iucundissimam esse. Haec complectuntur omnia, quae leguntur c. II. III. IV et V. Nam quarto capite et quinto (usque ad § 15) id tantum agitur, ut ea quae praecedit sententia, probetur exemplis. Jam vero Cato, postquam Scipionis et Laelii quaestionibus commotus, quae omnino plurimum valeant ad senectutem facile ferendam, quasi laxiore sermone exposuit, singulas causas, cur multis tamen senectus misera videatur ordine collectas continuo sermone refellit.

Prima igitur senectutis vituperatio est, quod a rebus gerendis avocet. Cuius vituperationis refutatio tota his fere nititur. Rerum gerendarum duo sunt genera, unum earum rerum, quae corporis vires desiderant, alterum earum, quae animo geruntur [2]). Quarum eae, quae animo geruntur, multo maiores sunt et meliores iis, quae corporis viribus geruntur (VI. 17.). Quae autem animo geruntur, ea maxime sunt senilia. Senectus enim consilio, auctoritate, sententia non modo non orbatur, sed etiam augetur nec debilitatur diuturnitate ingenium, modo permaneat studium et industria (VI. 17. 18. 19. 20. VII. VIII. 26.). Ex quo intelligitur, senectutem ad gravissima et optima quaeque gerenda maxime esse idoneam.

Alteram senectutis vituperationem, quod corpus faciat infirmius, sic fere refellit. Insipientis est et stulti, nimium tribuere corporis viribus. Praestantia enim hominis non in corporis, sed in ingenii posita est viribus (IX. 27. cf. X. 33). Quibus ut uti possint, senes non carent corporis viribus. Possunt enim aut orationes habere, aut iuvenes docere, aut alia multa agere ingenio, consilio, auctoritate (IX. 28. 29. 30. X. 31. 32. cf. XI. 37 et 38). Quodsi senes nimis imbecilli saepe reperiuntur, id non senectutis est proprium, sed aut adolescentiae vitiis tribuendum, aut commune est vitium valetudinis (XI. 35. cf. IX. 29) [3]) Eam autem infirmitatem, quae propria est senectutis, naturae necessitas affert (X. 33) [4]) Omnia vero, quae secundum naturam fiunt,

---

[1]) P. Cornelius Scipio Africanus minor, naturalis L. Paulli Aemilii Macedonici, adoptione Africani maioris nepos (Liv. XLIV. 44. Cic. Cato maior XI. 35.), cum multa bello praeclare gessit, tum duabus urbibus, inimicissimis imperio Romano, Carthagine et Numantia eversis sempiternam gloriam adeptus est. Nec vero bellica tantum laude floruit, sed etiam ingenio, litteris, sapientia et omni genere virtutum excelluit (Cic. Lael. III 11. Brut. XXI. 84.). Quo tempore Cato cum eo de senectute disseruit, aetatis annum agebat trigesimum quintum. Laelius aliquot annis erat maior. Huius maxime laudatur sapientia (Cic. Lael. II. 6). Magis etiam nobilitatus est ex summa quae ipsi cum Scipione erat familiaritate (Cic. l. l. IV. 15.).

[2]) Hanc rerum gerendarum divisionem offerunt quaestiones, quae leguntur initio c. VI.

[3]) „Etsi ista ipsa defectio virium adolescentiae vitiis efficitur saepius, quam senectutis : libidinosa etenim et intemperans adolescentia effoetum corpus tradit senectuti."

[4]) „Cursus est certus aetatis et una via naturae, eaque simplex; suaque cuique parti aetatis tempestivitas est

in bonis sunt habenda. Denique potest exercitatio et temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris et qui in ingenii studiis et laboribus semper vivit, corporis vires non desiderat (X. 34. XI. 36. 37. 38).

Sequitur, ut tertia refutetur senectutis vituperatio, quod careat voluptatibus. Caret profecto senectus immodicis corporis voluptatibus. Id vero non modo vitium nullum, sed etiam summa laus est senectutis. Neque enim his corporis voluptatibus quidquam hominibus est perniciosius (XII. XIII. 43. 44). Modicis vero et honestis corporis voluptatibus haud plane caret senectus (XIII. 44. 45. XIV. 46. 47. 48). Accedit, quod aliae voluptates multo praestantiores maxime sunt seniles. Nam primum haec ipsa summa est senum voluptas, quod animi liberi sunt libidinibus et bonis studiis et liberalibus artibus vacant (XIV. 49. 50). Deinde minime abhorrent senes ab agricolarum voluptatibus (XV. XVI. XVII. 59. 60). Denique in civitatibus bene moratis magnis fruuntur auctoritatis et honorum voluptatibus (XVII. 60. 61. [1]) XVIII.)

Ad refutandam quartam vituperationem, quod haud procul absit a morte, primum dicit non timendam esse mortem, quoniam post mortem aut beati, aut certe non miseri futuri simus (XIX. 66. 67) [2]), deinde mortem omni aetati omnibus horis impendere et adolescentiam plures etiam, quam senectutem, mortis casus habere (XIX. 67. [3]) 68), tum non ita multum esse tribuendum vitae diuturnitati et breve tempus aetatis satis esse longum ad bene honesteque vivendum (XIX. 69. 70), denique senibus mitiorem et faciliorem esse mortem, quam adolescentibus, quoniam nihil sit tam secundum naturam, quam senibus emori, et studiorum omnium satietas senibus vitae faciat satietatem et tempus maturum mortis afferat (XIX. 71. XX.) Ex his iam coniicere licet, senectuti mortem aut omnino negligendam, aut non magis timendam, quam adolescentiae. Plurimum vero ad omnem mortis timorem delendum eo affert, quod (c. XXI. XXII et XXIII.) copiosius exponit, quid et ipse et sapientissimus quisque sentiat de immortalitate animorum: *animos post mortem non vivere modo, sed etiam coelestem illam vivere vitam, quae sola vita sit nominanda.* Ex quo efficitur, ut mors non modo non timenda sit, sed etiam optanda. Praeclare igitur Cato sub finem libelli (XXIII. 84.) „O praeclarum diem, inquit, cum ad illud divinum animorum concilium coetumque proficiscar, cumque ex hac turba et colluvione discedam."

Haec fere sunt, in quibus Ciceronis de senectute libellus versatur. Quae profecto videtis esse gravissima et iuvenilibus animis utilissima. Plena enim omnia fere sunt verae istius sapientiae, quae arctissime coniuncta est cum virtute, et ita plurima sunt comparata, ut non senibus tantum serviant ad levandum senectutis onus, sed omni aetati plurimum afferant ad beatam vitam comparandam. Primum enim Catonis illa sapientia, qua se bona omnia a se ipso petere profitetur et senectutem facillime ferre dicit, nonne eadem efficiet, ut qui eam sequantur, omni tempore superiores sint his rerum vicissitudinibus neque unquam pendeant a fortunae temeritate? Quid

data : ut et infirmitas puerorum, et ferocitas iuvenum, et gravitas iam constantis aetatis, et senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat."

[1]) „Apex autem senectutis est auctoritas." sqq.

[2]) De quo loco vide quod infra pag. 9 breviter monui.

[3]) „Quamquam quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? Quin etiam aetas illa multo plures, quam nostra, mortis casus habet." sqq.

enim est aliud bona sua a se ipso petere, quam negligere ea, quae caduca sunt et fluxa, humanosque casus virtute inferiores putare? Qui omnia sua in se posita ducit, is certe omni studio sectabitur virtutes et bonas artes, quae nunquam deserunt, quae nec eripi nec surripi possunt. Haec vere bona sunt nominanda, haec sola sunt, in quibus omnis posita est vitae beatitudo. Videtis ergo, quae aptissima a Catone dicantur senectutis arma, eadem aptissima esse arma, quibus tota vita mala omnia possitis defendere et eas expugnare divitias, quae verae sunt certissimaeque divitiae.

Jam vero quae ad refutandam primam et alteram senectutis vituperationem disputantur, multa continent, in quibus gravissimam reperietis et verissimam exhortationem ingeniorum excolendorum. Summa enim huius disputationis in eo versatur, ut probetur, quam sit ingenium corpore praestantius. Ex quo sequitur, excolendo ingenia fore, ut idonei evadamus ad magnas res gerendas. „Non viribus, inquit, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnae geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia." Quid quod Milonem Crotoniaten nugatorem dicit eiusque voce nihil censet esse contemtius? „Qui cum iam senex esset athletasque se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos suos dicitur illacrymansque dixisse : At hi quidem iam mortui sunt." Ad quaestionem vero illam, quam Laelio et Scipioni proponit, utrum corporis vires Milonis, qui Olympiae per stadium ingressus esse dicitur, cum humeris sustineret bovem vivum, an Pythagorae sibi malint vires ingenii dari; num vos, iuvenes carissimi, dubitabitis unquam, ita quaerenti quid sit respondendum? Nec tamen corporis vires censet contemnendas esse. Quin etiam monet, ut diligenter corporis habeamus rationem. „Potest, inquit, exercitatio et temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris," et alio loco : „Habenda ratio valetudinis, utendum exercitationibus modicis, tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti atque animo multo magis." Quae praecepta maxime salutaria utinam omni tempore studiose sectemini.

De voluptate vero quae dicit, quam sint iuvenibus salutaria, vix est, cur moneam. Molles enim et fluxi iuvenum animi voluptatum illecebris maxime sunt obnoxii. Quare studiosissime, quaeso, legite aurea illa Archytae Tarentini, quibus nihil docet tam esse detestabile tamque pestiferum, quam corporis voluptatem. Quae si quis penitus mente perceperit, is profecto toto animo aspernabitur pravas istas et humiles corporis voluptates et „udam spernet humum fugiente penna" [1]). Ex quo fiet, ut facilius et libentius ad altiora evolet et maiores venioresque voluptates hauriat ex puriore fonte, animi sitim expleens praestantissimis ingenii studiis et contemplando divinam illam vim naturae.

Ex ultima denique sermonis parte hoc unum praeceptum imprimis velim hauriatis, ut mortem contemnatis. Quod praeceptum non senectuti tantum, sed omni aetati ad comparandam animi illam tranquillitatem, sine qua nulla esse potest vitae beatitudo, maxime est necessarium. „Moriendum enim certe est, et id incertum, an eo ipso die. Mortem igitur omnibus horis impendentem timens, qui poterit animo consistere?" Multum sane scriptor in eo versatur, ut varias rationes afferat, cur mortem censeat contemnendam. In quo fateor pauca inesse parum recta. Ita quod initio statim dicitur, si non exstinguatur morte, beatum fore post mortem animum [2]), id logica quam

[1]) Horat. carmen. III. 2. 23.

[2]) XIX. 66 et 67. „Quae (sc. mors) aut plane negligenda est, si omnino exstinguit animum, aut etiam optanda,

dicunt, necessitate non sequitur, et quae postea (c. XXI—XXIII) uberius de divina et immortali vi animorum disputantur, partim nimis artificiosa sunt et quaesita et ita comparata, quibus probetur, quanta sit sine divina ope humanae mentis in difficillimis et gravissimis quaestionibus debilitas : sed multa tamen insunt meliora, quibus ad virtutem admoneamini et vestri animi ad altissimas cogitationes evehantur. Ita praeclarissimum certe illud : „Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. Cum enim id advenit, tunc illud, quod praeteriit, effluxit : *tantum remanet, quod virtute et recte factis consecutus sis.* Horae quidem cedunt et dies et menses et anni : nec praeteritum tempus unquam revertitur, nec quid sequatur, sciri potest. Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus. Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fabula; modo, in quocumque fuerit actu, probetur : nec sapienti usque ad „Plaucite" veniendum. Breve enim tempus aetatis satis est longum ad bene honesteque vivendum." (XIX. 69. 70). Et praestantissima illa, quae quasi in fronte posuit uberioris istius de immortalitate animorum disputationis (XXI. 77) : „Ego vestros patres, P. Scipio, tuque, C. Laeli, viros clarissimos mihique amicissimos, vivere arbitror; et eam quidem vitam, quae est sola vita nominanda. Nam, dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis et gravi opere perfungimur : est enim animus coelestis ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram, locum divinae naturae aeternitatique contrarium. Sed credo deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique, coelestium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitae modo atque constantia" : nonne haec proxime accedunt ad divinam christianorum praeceptorum veritatem?

Ita hic totus fere libellus plenus est rerum gravissimarum eorumque praeceptorum, quae qui penitus mente percepta habeat, haud facile cogitationes suas, ut ait Cicero, abiiciat ad res humiles et contemtas, sed alta et divina et magnifica suspiciat et toto animo omnique studio in eam incumbat rationem, ut divino ingenio in se suo semper dignum aliquid et faciat et sentiat [1]). Atque in exponendis his rebus gravissimis eam scriptor secutus est rationem, quae mentibus iuvenilibus maxime est accommodata. Neque enim subtiliori et difficiliori quadam philosophandi

si aliquo eum deducit, ubi sit futurus aeternus. Atqui tertium certe nihil inveniri potest. Quid igitur timeam, si aut non miser post mortem, aut beatus etiam futurus sum?"

[1]) Solet iuvenibus litterarum studiosis commendari, ut idoneos locos scriptorum ediscendo memoriae mandent. Id autem in deligendis locis qui dicuntur memorialibus maxime est videndum, ut nec difficiliores sint intellectu et propter rerum quae insunt gravitatem memoratu dignissimi. Quare cum hic de senectute libellus et propter disputandi rationem, qua usus est scriptor, satis sit facilis et multas res contineat gravissimas, fieri non potest, quin multa insint aptissima, quae ad verbum ediscantur. In quibus ego quidam maxime habeo : primum locum illum, in quo Cato artes exercitationesque virtutum aptissima dicit senectutis arma et exempla quae addit Q. Fabii Maximi, Platonis, Isocratis, Gorgiae. III. 9. — V. 13 (omissis verbis: „Quamquam eum colere coepi..... de donis et mnneribus fuit"), deinde praeclarissima illa, quae de contemnenda voluptate praecipiuntur XII. 39 — XIII. 43, tum quae de ingenii voluptatibus dicuntur XIV. 49. 50, denique pauca eius disputationis, qua de contemnenda morte et de immortalitate animorum agitur. IX. 69. 70 et 71. XX. 74 (inde a verbis : „Sed hoc meditatum ab adolescentia debet esce sqq.) et 75. XXI. 77 (inde a verbis : „Ego vestros patres sqq.) et 78 (usque ad verba : „is, qui esset omnium sapientissimus oraculo Apollinis iudicatus"). Hos igitur locos imprimis ad ediscendum commendo.

et argumentandi ratione usus est, sed omnia ita sunt disputata, ut facile et sine multarum rerum doctrina possint intelligi. In quo hoc unum maxime monendum censeo, quod toto fere libello id agit sciptor, ut quam vera praecipiat et doceat, omissis subtilioribus disputationibus maxime confirmet vivis nobilissimorum hominum exemplis. Nam et suo ipsius exemplo plurimis locis utitur, et multos quoque alios homines laudat gravissimos, honestissimos, fortissimos, dignissimos, quorum eximia virtus ad imitandum vobis proponatur. In quorum numero ex Romanis hominibus, quos laudat, imprimis habendos censeo praeter Catonem ipsum Q. Fabium Maximum, Appium Claudium Coecum, C. Fabricium, M'. Curium Dentatum, Ti. Coruncanium, P. Decium, L. Quinctium Cincinnatum.

Atque hic totus Ciceronis libellus eo quoque facilior est lectu, quod scriptor non artificiosa et elaborata oratione nec tortuosis sententiis, sed soluto et quasi levi quodam dicendi genere usus est, quotidianae sapientis hominis locutioni finitimo. Nam etsi in maxima disputationis parte ita versatur Cato, ut non socratico more interrogando et respondendo, sed continuo sermone omnes senectutis vituperationes refellat, tamen omnia ad vivi et familiaris sermonis similitudinem expressa sunt. Quod cum toto fere libello satis declaretur, tum ex singulis locis clarissime elucet. Ex quibus paucos placet vobiscum recognoscere. Primum ad vivi et familiaris sermonis levitatem Cato proxime accedit eo, quod interdum loquitur ex adversarii cuiusdam mente, cui ipse subinde respondet, ut VII, 21. „At memoria minuitur." „„Credo, nisi eam exerceas, aut, si sis natura tardior."" X. 33. „At minus habeo virium, quam vestrum utervis" [1]). „„Ne vos quidem T. Pontii centurionis vires habetis."" XI. 35. „At ita multi sunt imbecilli senes, ut nullum officii, aut omnino vitae munus exsequi possint." „„At id quidem non proprium senectutis est vitium, sed commune valetudinis"" [2]). Eiusdem levitatis et facilitatis est, quod saepe vivi et familiaris sermonis instar brevissimas quasdam adhibet dictiones, ut V. 14. „Praeclarum responsum et docto homine dignum." VIII. 25. „Et multa fortasse, quae vult." 26. „Iucundum potius, quam molestum." X. 32. „Sed redeo ad me." XIX. 67. „Sed redeo ad mortem impendentem." XVI. 57. „Brevi praecidam." XIX. 68. „Insipienter sperat." 69. „Da enim supremum tempus." Adde quod breves quasdam dictiones nonnunquam aliis sententiis levissime vel interserat vel affigat, ut XIV. 46. „Quod si quem etiam ista delectant — ne omnino bellum indixisse videar voluptati.... — non intelligo, ne in istis quidem voluptatibus ipsis, carere sensu senectutem." XVI. 55. „Ignoscetis autem. Nam et studio rerum rusticarum provectus sum et senectus est natura loquacior — ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare." „Cuius quidem (sc. M'. Curii) villam ego contemplans — abest enim non longe a me — admirari satis non possum vel hominis continentiam, vel temporum disciplinam." 56. „Sed venio ad agricolas — ne a me ipso recedam." Ex hac dicendi levitate et facilitate fit saepe, ut quaedam omittantur. Quod diligenter in legendo animadvertendum est, quoniam saepe particulae quaedam non ad ea, quae leguntur, pertinent, sed ad ea, quae quamquam non dicuntur, menti tamen obversantur. Cato (VI. 16) nobilissimam

[1]) In hoc altero loco non alium, sed se ipsum facit sibi adversantem.

[2]) Adde IX. 28. XIII. 44. XIV. 47. XVIII. 65. XIX. 68.

Appii Claudii orationem laudans contentus est ex Ennii carmine initium tantum orationis afferre, quoniam totum Ennii carmen Scipioni et Laelio putat notum esse :

„Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
Antehac dementes sese flexere?

Ceteraque gravissime : Notum enim vobis carmen est; *et tamen ipsius Appii exstat oratio.*" In quo loco plane esset absurdum particulam *tamen* ad ea ipsa referre, quae praecedunt. Nam locus ita fere explicandus est : Notum enim vobis carmen est, sed etiamsi Ennii carmen ignotum vobis esset, tamen haec Appii vobis essent nota. Nam ipsius Appii exstat oratio. Pari modo aliquid subintelligendum est X. 32. „Equidem posse vellem idem gloriari, quod Cyrus, *sed tamen hoc queo dicere*" sqq. In quo hic certe inest sensus: Equidem posse vellem idem gloriari, sed quamquam idem gloriari non possum, tamen hoc queo dicere sqq. Et VIII. 26. „Quod cum fecisse Socratem in fidibus audirem, vellem equidem et illud...., *sed in litteris certe elaboravi.*" Quem postremum locum patet superiori illi esse simillimum [1]). Denique quam vivus sit in hoc libello sermo, ex eo quoque intelligitur, quod frequentissimus est per totum libellum quaestionum usus. Ex nube exemplorum satis est unum instar omnium citare. VI. „A rebus gerendis senectus abstrahit? Quibus? An iis, quae in iuventute geruntur et viribus? Nullaene igitur res sunt seniles, quae vel infirmis corporibus, animo tamen administrantur? Nihil ergo agebat Q. Maximus? nihil L. Paullus, pater tuus, Scipio, socer optimi viri, filii mei? Ceteri senes, Fabricii, Curii, Coruncanii, cum rem publicam consilio et auctoritate defendebant, nihil agebant?"

Haec fere habui de hoc Ciceronis libello, quae dicerem. In quo satis magnam certe habetis commendationem. Sed in uno tamen — ne ab omnibus eum vitiis videar vindicare — hunc libellum legentes vereor, ne offendatis. Videtur enim Catonis disputatio multis locis nimis esse laxa et soluta, ita ut rerum cohaerentia et consequentia parum sit stricta nec satis plana et certa, ut sententiarum ordo nonnunquam turbetur, ut nonnulla vitiose videantur repeti. Quod quamquam eo defendi potest, quod omnia ad vivi ac familiaris sermonis similitudinem expressa sunt, tamen hinc facile fieri possit, ut legentes nimis impediamini et singula confundatis. Non est huius loci, singula, in quibus hoc animadverti possit, percensere, neque hoc opus esse censeo. Spero enim fore, ut summario illo, quod supra proposui (pag. 6—8), adiuti ea quae modo commemorabam impedimenta facile superetis.

Cum haec scribere coepissem, multae res factae sunt gravissimae, quae animum meum adeo commoverunt, ut aliquamdiu a scribendo me plane prohiberent. Quamquam enim praestantissimarum rerum semina, ex quibus fore speramus, ut deo iuvante summa patriae salus efflorescat, his mensibus feliciter sparsa sunt, tamen verendum est, ne magna bona, ut fit fere, magnis malis proxime absint et haec via, quam nunc ingressa est patria, per multa ducat pericula magnasque difficultates. Quis est, quem non iuvet, quod iam magno studio id agitur, ut omnes Germaniae, quae

---

[1]) Aliud omissionum genus praebet XV. 52. „Satiari delectatione non possum, *ut meae senectutis requietem oblectamentaque pernoscatis,*" et XVI. 56. „Mea quidem sententia haud scio an nulla beatior esse possit : neque solum officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris, sed et delectatione, quam dixi, et saturitate copiaque omnium rerum..... *ut, quoniam haec quidem desiderant, in gratiam iam cum voluptate redeamus.*"

communis est nostrum omnium patria, populi arctiore et firmiore inter se vinculo coniungantur? Quis est, quin popularis istius cuius nunc fundamenta ponuntur libertatis animo sit diligentissimus? Quid? Haec una res — ut cetera omittam — quod iam omnes cives pari iure utuntur omnesque participes sunt rerum publicarum, num hac re quidquam mente excogitari potest praestantius? Praesertim cum ex hoc fieri possit, ut et reges et qui rebus publicis praesint, tandem aliquando desinant quasi disiuncti videri a populo et alieni, utque et singularum civitatum et totius patriae potestas, populi libertate nixa, terminis qui inter principes et populum intercedunt omnibus sublatis, mirifice corroboretur et augeatur. At vero non dubito hic publice monere et praedicare, magna libertate bene uti grave esse et difficile munus. Multi profecto indigni sunt magna libertate, multi tanto muneri impares. Num stultos homines et insipientes, num leves et temerarios, num improbos, libidinosos, sui magis, quam communis patriae studiosos publicas res censetis bene esse gesturos? Videte, quaeso, quod est in Naevii ludo [1]):

„Cedo qui vestram rempublicam tantam amisistis tam cito?"

Sic enim percontantur : respondentur et alia et haec imprimis :

„Provehebantur ad res novi stulti adolescentuli?"

Patet igitur liberrimum rei publicae statum ea lege maxime esse salutarem, ut plurimi cives sint sapientes, moderati, honesti, patriae amantissimi, fortissimi. Haec vero non temere et repente arripiuntur, sed disciplina et diuturno usu paullatim animi virtutibus assuescunt. Quare, iuvenes carissimi, ut boni aliquando cives evadatis, libertate digni et publicis rebus fungendo pares, in iuventute omnis sapientiae et virtutis fundamenta ponenda. In quo Catonem maiorem legendo et propter optima quae insunt praecepta et clarissimorum hominum, quorum eximia virtus omni tempore splendidissime elucebit, exempla [2]) aliquantum, opinor, adiuvabimini. Vellem quidem de Romanis hominibus, quos Cato in hoc sermone laudat, locos quosdam classicos colligere : sed hoc longum est. Unum tamen locum (Liv. XXXIX. 40.), in quo Cato ipse, qualis fuerit, praeclarissime describitur, facere non possum, quin legendum vobis proponam : „Omnes patricios plebeiosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat. In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut, quocunque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars neque privatae neque publicae rei gerendae ei defuit. Urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit. Huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret. In bello manu fortissimus multisque insignibus clarus pugnis. Idem postquam ad magnos honores pervenit, summus imperator : idem in pace, si ius consuleres, peritissimus, si causa oranda esset, eloquentissimus. Nec is tantum, cuius lingua vivo eo viguerit, monumentum eloquentiae nullum exstet : vivit immo vigetque eloquentia eius sacrata scriptis omnis generis. Orationes et pro se multae, et pro aliis, et in alios. Nam non solum accusando, sed etiam causam dicendo fatigavit inimicos. Simultates nimio plures et exercuerant eum et ipse exercuit eas. Nec facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobili-

---

[1]) Cato maior V. 20.
[2]) V. pag. 11.

tatem. Asperi procul dubio animi et linguae acerbae et immodice liberae fuit : sed invicti a cupiditatibus animi et rigidae innocentiae, contemtor gratiae, divitiarum. In parsimonia, in patientia laboris, periculi, ferrei prope corporis animique, quem ne senectus quidem, quae solvit omnia, fregerit. Qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit, scripseritque : nonagesimo anno Ser. Galbam ad populi adduxerit iudicium."